

notandum est, quia non debet in oratorio infans flagellari; sed cum flagellandus erit, non in capitulo, sed in schola magistri eorum debent illos flagellare. Infantes enim in hoc loco intelliguntur illi, qui in custodia sunt generali. De illo, qui non legit bene in refectorio, ita agendum est: debet enim abbas talem fratrem constituere, qui sedeat juxta lectorem et eum possit emendare atque corrigere, i. e. quando feellerit, sive ut ipso intelligere possit, quando eum silenter corrigit, quia nullo modo permittit regula inibi cuiquam loqui, sed propter vitium lectoris atque ipsius codicis, qui (quod) legitur, concessum est, ut lectio lectori<sup>1)</sup> emendetur.

*Cap. XXXXVI.*

DE HIS, QUI N ALIQUIBUS REBUS DELIQUERINT VEL  
FREGERINT QUIPIAM.

Bene, postquam dixerat de satisfactione tam gravium quam levium culparum et satisfactione fallentium in oratoria, dicit nunc etiam de satisfactione illorum, qui in aliquibus rebus delinquant, ut, quod deerat sibi, unumquodque capitulum suppleret vicinitate conjunctum, ut, sicut sensu sibi junguntur, jungerentur etiam ordine.

Sequitur: *Si quis dum in labore quovis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in aliqua arte, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit aut fregerit quidquam aut perdiderit, seu aliud quid excesserit, ubi et ubi, et non veniens continuo ante abbatem vel congregationem ipse ultra satisfecerit et prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, majori subjaceat emendationi.* Sciendum est enim, quia non est bonum, ut aliis habeatur, eo quod si aliis habetur, videtur officium divinum leve esse. *Deliquerit* attinet ad versare aliquid, *fregerit* ad rumpere aliquid, *excesserit* attinet ad sonum facere veluti in refectorio cum cuppa vel cultello, vel etiam cum cochleare in terram ceciderit, vel super mensam aliquis sonus factus fuerit. Excedere enim est modum transire; ubi enim modum quis transit, tunc excedit. Excedere enim est metas sive

<sup>1)</sup> lectoris (?).